





16
21
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30



1685

24. Mullerus, Petrus: De fundo optimo maximus.
- 21^a, 41^a, 51^a Mullerus, Petrus: De jure episcopi. 4 Sampl. 1685, 1686,
1711 & 1738.
22. Mullerus, Petrus: De jure solidi. . .
- 23^a, 41^a Mullerus, Petrus: De ficto, seu quasi dominio
2 Sampl. 1685 & 1756.
- 24^a, 41^a Mullerus, Petrus: De matrimonio abstinentium.
2 Sampl. 1685 & 1722.
25. Mullerus, Petrus: De exceptione impotentiae
ex afflictione orta.
26. Mullerus, Petrus: De convalescentia.
27. Mullerus, Petrus: De prohibita a testatore Tre-
bellianica.
- 28^a, 61^a, 71^a Mullerus, Petrus: De capis auxiliariis sta-
tum imperii 4 Sampl. 1685, 1716, 1721 & 1736.
29. Mullerus, Petrus: De jurisdictione criminali. . .
- 30^a, 61^a, 71^a Mullerus, Petrus: De jure investendi status imperii
Germaniae Romanae. 3 Sampl. 1685, 1706 & 1748.

1685

31. ^{nat} = Mullerus, Petrus: *Tractatus oblativus* 28 ampl. 1685 u. 1701. 41.
32. Mullerus, Petrus: *De praecipitantia* 42.
33. Pott, Joh. Henr.: *De absolute a juramento* 43.
34. Pott, Joh. Henr.: *De deposito juris*.
35. Roth, Henricus Balthasar, Collegii Juris. Iccanus:
etlectionem cursoriam Johannis Jacobi Hartungi innotat.
36. Roth, Henricus Balthasar: *Ad legem, Licet me et T. Henr.*
32 ff. de reb. credit.
37. Roth, Henricus Balthasar: *De casu casuum practico-
rum resolutorum circa materiam usus fructus*
38. Roth, Henricus Balthasar: *De exceptione intentionis seu
facti*
39. Sagittarius, Caspar: *Historia Marchiae Saxeoburgensis,
in qua potissimum Alberti Magni vita et res gestae exponuntur.*
40. Schroderus, Joh. Christianus: *Reliqua litorum advocatorum*

1688

41. Schroeterus, Johann Christianus: *De litis contestatione*
42. Neugbier, Philippus: *De jure omnium in omnia.*
43. Hume, Georgius Haenus: *Princeps legibus solutus*

ITZ
R O
O
Appellat
P
io.
b
C
que pro



C. D.

DE

ACTIBVS
OBLATIVIS,

Von

Vorschlügen.

PRÆSIDE

DN. PETROMÜLLERO, Jcto,
CONSIL. SAX. PANDECTAR. PROFES-
SOR. AC COLLEG. JURIDICI
DECANO

IN AVDITORIO JCTORVM

ad D. Septembr. 1685.

publicè disputabit

CONRAD. Stern/

Stralefundenf. Pomeran.

—
IENÆ, Typis PAULI EHRICHII. 1711.

14.
~~124~~
~~388~~ 1268
1685, 31
6
23
—





PROEMIVM.



Qui omnia diligenter investigat, & cognitis rebus, quæ sunt agenda, exequitur, procul dubio sapiens est, & vitæ communi aptissimus. Ausculta consilio, ac accipe eruditionem, ut sapias tandem, inquit Sapiens *Proverb. 19. 20.* Sc.

quisque hebetior in suo est, alieno quam negotio, & qui semet uno consultore utitur, sapè peccat. Conferenda itaque sunt consilia cum prudentioribus, & qui ob vitæ integritatem præ aliis sunt conspicui. Licet non omnium hominum æqualis sit conditio, neque tam consilia existimentur esse bona, quæ à bono quoque proveniunt. Certum tamen est, quòd fatui omnes contemptui habeant homines obscuros, nihilque illis attendant, etiamsi optima dent consilia; Quos autem viderint honoratos à vulgo, aut à summis magnatibus, illis non dedignantur obtemperare.

Sunt omninò sermones vel consilia scriptis data ponderanda, non numeranda. Unde D. Chrysostomus: Si quispiam parum utilem sententiam dixerit, surgat alter & loquatur. Quod si, quamvis inferior sit, aliquid tamen, quod ex usu sit, dicat, sententiam illius comproba. Nec eum quamvis vilem & abjectum

A 2

ctum

Etum asperneris. Neque enim quisquam horum tam à proximo hic distat, quam focer ille à genero Mose; qui tamen sermonem ipsius minimè fastidivit, verum & consilia exceperit, eique paruit, atque adeò literis quoque mandavit. Prudentia sanè opus est in eligendo ubi variæ eæque sæpius discordantes sunt deliberationes. Tam enim malum est, consulere cunctos, quam consulere neminem. Quidnam est inter Principes optimum, nisi sola prudentia, inquit Seneca *epist.* 65. Hæc incorruptus imperiorum balsamus, perpetuus regnorum fulgor sceptrique ac purpuræ immortalitas. Non ad alium polum in navigatione politicâ principatus vela Princeps expandat, nec alio fune sustentari posse arbitretur regimen, nisi sacra exactissima prudentiæ anchorâ. Circa ejusmodi *actus oblativos*, quos tales esse dicimus, ubi ab altera parte, cui offeruntur, nulla existit recipiendi obligatio, sed vel ipsum ad recipiendum movere potest rei utilitas, quam exinde sentire potest, vel necessitas, ut licet suo arbitrio indulgere maximè velit, non tamen cessurum bene videt negotium. Per *actus oblativos Vorschläge* intelligimus non tantum *consilia*, sed etiam *persuasiones, blanditias & commentationes*, ac quicquid eo animo alter alteri offert, ut sequendum illud esse bonum existimet. Quales oblationes cum non semper bono fiant animo, sed callidè sapius, & ad incommodum aliorum, membra nostræ dissertationis distinximus in *actus oblativos*, qui *bona*, & qui *mala mente* sunt. De iis videbimus in hoc exercitio academico quid sentiamus. Deus laboribus nostris clementissime benè dicat!

SECTIO

SECTIO PRIOR.

D E

ACTIBVS OBLATIVIS, QVI
BONA MENTE FIUNT.

SUMMARIA.

- I. *Dicta factave alicujus, pro quo stat presumtio integritatis semper presumuntur ex bona mente profecta.* II. *Consiliarius offerens suum consilium, civitatis salutem unice intendat.* III. *Consilia oblata matura sint, non precipitata.* IV. *Oblata consilia respiciant utilitatem Principis, ne tamen salus Subditorum in periclitetur.* V. *Oblata consilia ne respuat Princeps.* VI. *Oblata consilia in utramvis partem tam pro imperio, quam contra utilitatem ejus probe examinet, & si unum ex hisce elegerit Princeps, de eventu non tenetur Consiliarius.* VII. *Consilia à Senibus oblata praefenda sunt consiliis juniorum.* VIII. *Oblata Pax num suspecta?* IX. *Oblata inducie num proficuae?* X. *Oblata confederationes num conducant Reipublicae?* XI. *Offerens conditionem nubendi, conditionem personae noverit, tali oblatione acceptata non inducitur obligatio.* XII. *Offerens dotem sine quantitate, si parens est, obligatur, non autem si extraneus.* XIII. *Offerens simulque nominans tutorem obligatur, nisi mater sit.* XIV. *Offerens se ad negotium gerendum facit, ut alter durius constringatur.* XV. *Offerens solutionem quatenus liberetur.*

Thes. I.

Uti quisque presumitur bonus, ita dicta facta-
 ve ejus ex mente bona profecta presumuntur.
 Hinc consilium ejus, qui jurata fide superio-
 ri adstrictus est, ut pro tali, quod officio e-
 jus ita postulante datum, aestimetur, nihil est quod ob-
 stet; Nam consiliarii est in tempore consilium suum
 principi offerre & tempestive, proponere, juxta vul-
 gare illud: *Qui messem negligit, amisso semine mendicita-
 tem colligit.* Ubi tamen prudentia opus est, nam non
 cuivis ex consiliariis quavis monere dominum suum, si
 non requiratur, decet; Varia quippe consiliarium
 functio est, quos in diversa sapere Princeps partitus est
 collegia, Status sc. Rationum & Justitia.

Thes. II. *Consiliarius offerens suum consilium, ci-
 vitatis salutem unice intendat; quod nemo nisi vir
 bonus prestare potest, & qui prudentia pollet ac sa-
 pientia, & qui malis & pravis opinionibus non est
 corruptus.* Bene Caselius c. 8. *proposit.* ait: *Ex per-
 versis opinionibus proveniunt perversa & perplexa consi-
 lia, facta item improba & nefaria, videre autem veras
 sententias & falsas opiniones, nosse item id discriminis,
 quam illa pulcre ac amabiles sint, haec vero quam fade &
 detestabiles: denique illas amplecti, has adversari toto
 animo, non parvum esse opera pretium in consiliario exi-
 stimabimus.* Huc facit dictum Appiani lib. 2. *bell. civil.*
 Periniquum est propter privatas similtates Rempubl.
 in discrimen adducere, nec abutendum occasione ad
 exempla odia, sed potius Reipubl. sunt donanda priva-
 tarum injuria.

Thes. III. *Consilia oblata matura sint, non pra-
 cipi-*

capitata. Optimum est, quod Aristoteles *lib. 6. Etbior. cap. 9.* inculcat; scilicet antequam incipias consulto, ubi consuleris, maturè factò opus est. Et *Li- dius*: Consilia calida & audacia primà specie læta esse, tractatu dura, eventu tristitia, & *Lucianus*: Tardum consilium melius est: præceps verò semper comitem poenitentiam habet. Vid. D. Præses *in Disput. d. Præcipiantia Cap. 2.*

Thef. IV. *Oblata consilia respiciant utilitatem Principis, ne tamen salus Subditorum periclitetur.* Cavendum est consiliario, ne talia iuggerat consilia, quæ si Princeps sequatur, res subditorum cum pulvisculo auferat, neve pennæ eorum ita præcidantur, ne renascantur: neve ita emungantur subditi, ut sanguis eliciatur. Ipse Alexander M. cum quidam ipsum admoneret, longè plus vectigalium auferri posse, respondit: *Et olitorem odi, qui radicitus excindit olera.* Plutarch. D. Præses *in Præsidis domûs illustris cap. 6. post. 3.*

Thef. V. *Oblata consilia ne respuat Princeps.* Non enim potest carere Princeps in directione Reipublicæ consiliariis; quod sacra confirmant paginæ, præsertim *Proverb. c. XI. v. 14.* ubi Rex prudentissimus ait: *Salus, ubi multi consiliarii.* Neque semper suas sequatur imperans sententias, quantà etiam polleat sapientiâ, ut de se modestè sentit *Antimach. lib. 1. de Cons. Theor. 1. f. 55.* Sicuti nullum certè sapientiozem habuimus ipso Salomone, consiliariis tamen eundem semper stipatum fuisse, sacra testantur literæ *lib. 1. Reg. c. 4.* Tamdiu omnia regna, civitates ac nationes prosperum habuerunt imperium, quamdiu apud eos vera consilia valuerunt, inquit *Salustius in Orat.*
ad

ad Caesar. Uti ipse Pontifex Maximus, qui omnia jura in scrinio pectoris habere à multis creditur, cum negotiorum, quæ Romam deferuntur, ad immanem modum creverit multitudo, Consiliarios, tanquam auxiliares, pro administranda justitia, tam in spiritualibus, quàm in secularibus sibi adungere solet. D. Lebleud. *instructione fut. consiliar. Disp. I. th. 5.*

THES. VI. *Oblata consilia Princeps ne avidè arripiat, sed ea in utramque partem tam pro imperio, quàm contra utilitatem ejus quæ facere possint, probè examinet.* Consilia præprimis examinanda sunt primò quoad *præterita*, num de iisdem rebus olim datum consilium, & acceptatum sit, ac quemnam habuerit eventum; Secundò *juxta præsentia*, num difficilis sit executionis; & tandem *respicenda futura*, quatenus conservando statui, vel obesse aut ex re esse possint. In hoc consistit status ratio. Quemadmodum aliàs Arist. 3. *Polit. 8.* de legibus differit, Scil. *si quaeratur legumlatori, qui rectissimas leges ferre velit, utrum leges scribenda sint ad meliorum tantum, an ad plurimum utilitatem, cum, si multitudinem, non ut singulos, sed ut universos consideres, plerumque accidat, eam paucis divitibus esse ditiores, & paucis virtuosos etiam meliorem? Fortasse sumendum* respondit Philosophus: *quod rectum, sed quid rectum? rectum est fortassis ex totius civitatis utilitate & civium communi.* Ita in consiliis illud animadvertendum est, nec semper tantum manu agat Princeps, quàm consilio; quò mentem etiam direxit Bacon. de Verulam. in *serm. fidel. cap. 19.* ubi sic infatur: *Veruntamen & hoc verum est, modernis temporis prudentiam, circa Principum negotia tractanda, in hoc potissimum versari, ut acquirantur magis &*

aptentur remedia pericholorum, cum ingruerint, quàm,
 ut prudentia solida & constanti submoveantur, ante-
 quam impendant. Verùm, hoc nihil aliud est, quam
 in agone cum fortuna experiri. Cavaant autem homi-
 nes, ne obdormiscant circa turbarum materias pri-
 mas, & inchoamenta. Nemo siquidem scintillam in-
 cendum parituram prohibere potest, nec regiones me-
 tiri, unde eruptura sit. Principibus frequenter ac-
 cidit, ut contradictoria planè appetant sicut rectè Ta-
 citus: Sunt plerumque Regum voluntates debementes,
 & inter se contraria: At potentia nimia solacismus est,
 credere, se posse finem rei pro arbitrio assequi, neque ta-
 men media procurare. Electo verò consilio oblato,
 consiliarius, si res ex voto non eveniat, non tenetur,
 cum bonam fidem præstet, non verò eventum, quem
 nec prudentissimus prævidere potest; cum plerasque
 res fortuna ex sua libidine agitet; & sæpè prava con-
 silia magis, quàm prospere bene eveniant. D. Lau-
 terbach. *Dissert. de Consiliis part. 2. cap. 1. tb. 4.*

THES. VII. Consilia à Senibus oblata præfe-
 renda sunt consiliis Juniorum. Ut enim senibus natu-
 ra corpus annis infirmum, ita animum Sapientia de-
 dit validum Salust. *Catilin. cap. 1.* Unde Pyndarus
 referente Plutarcho in *Lycurgo c. 39.* dixit, consilia se-
 num hastas Juvenum esse; & Aristoteles: Vires in-
 Juvenibus: Prudentia in Senibus, Bernegger. *ad Tacit.*
de morib. german. qu. 59. Lipsius *lib. 3. Polit. c. 4.* Hinc
 etiam Guevara in *borol. princip. lib. 3. c. 58.* Nihil, in-
 quit, Principi honestius, quàm gaudere Senum comitatu,
 tales enim & domini dignitatem, & domus auctoritatem
 decorant. Imò in Senibus longa est rerum experien-
 tia, quemadmodum medicus melior dicitur, qui diu-
 tius

tius inter agrotos versatus est, vel qui ipse diutius ager fuit; ita Senex consiliarius longò tempore novit, quomodo præcepta politica usui accommodari possint, propriâ experientiâ edocti. Quantum enim interest inter arborem & umbram, os & medullam, frumentum & paleam, aurum & scoriam, somnium & veritatem, tantum interest, utrum quis calamitates ex altero alienas audiat, an earum sensu ipse experiendo afficiatur, Guevera *horolog. princip. lib. 3. c. 40. n. 629.* Contra juvenes nullis unquam inconstantis fortunæ telis percussi, plerumque consiliis, quæ plus ostentationis, quàm securitatis habent, insistent D. Lebleu *de Instr. futur. consil. cap. 7. th. 19.* Non tamen simpliciter juvenes à consiliis arcendi sunt, cum prudentia supplere possit ætatem *cap. fin. X. d. de spons. impub. uti & malicia l. 3. C. si minor se major. dix.* Sic Nerva de jure respondit anno ætatis 17. l. 1. §. *initium ff. de postl.* Celsus in jure ubique adolescens vocatus respondit de jure l. *si serv. §. sequitur ff. d. V. O.* Hugo Grotius anno ætatis 16. gradum Doctorem in utroque jure summa cum laude obtinuit D. Lebleu *d. l.*

Thef. IIX. *Oblata pax num suspecta videatur, probe consultandum.* Quandoquidem hostis ad incitas ferè redactus offert conditionem pacis, ut colligat sibi interim manum armatam ad defendendum. Nulli tamen periculosiores inimici sunt, quàm qui sub blanda amicitia umbrâ latentes, hostilitatem exercent. Zevcot. *in Sueton. c. 75.* Fœderati sapius pacem offerunt, præsertim si hostis opes, fides & autoritas infirmioribus sociis suspecta est, metuuntque hi, ne in servitutem redigantur; Thucid. *lib. 5.* Non fœde-

foederati: tanquam iudicibus, pacis concilianda causa
 conditiones belligerantibus offerunt, vel quod eos mo-
 veat studium concordiae inter eos, qui ejusdem sunt
 religionis, vel ut in hoc religionis negotio communis
 debelletur hostis, vel ob amicitiam, affinitatem, & con-
 sanguinitatem. Ita oblata consilia pacis quondam
 Christiani Principes acceptarunt pro Christiana re-
 ligione tutanda, atque adversus Saracenos & Turcas,
 Christiani nominis hostes acerrimos, maxima
 & plurima bella, cum per se ipsi, tum cum aliis con-
 foederatis Regibus ac Principibus Christiani orbis,
 & amicis sociisque imperii Romani, magnâ cum
 laude ac gloria confecerunt. Vid. Reusner. *prafat. in*
Orr. & Consult. Turc.

Thef. IX. *Oblatae inducie, quibus bello durante ad*
tempus bellicis actibus abstinendum, num expediant, serio
expendendum est. Etenim hæc pacta aliquando pluri-
 mum periculi habent ex personis, quibus cum incun-
 tur. Veteres enim illæ artes sunt, inquit Zevectorius
in Casarem c. 29. p. 8. pace, aut induciis expugnare,
 quos bello non potest. Finis eorum est, ut inicitis
 pactis, à bello abstineant partes, ad hoc ut vel pax
 obtineatur, vel melior bellandi, remotis interea ob-
 staculis conditio. Expendenda, quæ ad hunc finem
 conducunt, media, ac sedulo cavendum, ne hosti-
 um commodo pactæ sint induciæ. Indulgentur au-
 tem eorum commodo, ubi rebus feliciter à nobis ge-
 stis penè victi jam sint & prostrati. Quippe qui hic
 aliter agit, & blandientis sibi fortunæ cursum pro-
 hibet & sistit, & faventem hostibus veluti trans-
 scribit Lebleu. *dissert. d. induciis th. 22.* Interim non
 semper recusandæ sunt induciæ oblatae, cum

exhausta in præcedentibus bellis æraria restaurari impletque possint. Melius est oblatas acceptare inducias, quam contractâ fortunæ fronte illas offerre. Sic inter Belgicos Ordines & Regem Hispaniæ statuebantur in duodecim annos induciæ, ex quibus tandem pax inter utramque gentem perpetua emerfit.

Thef. X. *Oblata confederationes prudenter sunt acceptandæ*; cum eas magna circumstent pericula, incertus sit earum eventus, magnis inflexæ sint difficultatibus, modica sapius sperata ex illis utilitas, magnusque earum, si rectâ operante ratione percussæ fuerint, sit fructus; quam non rarò, urentis venti instar, adversans consumat, vel minuat fortuna. Lebleu *diff. d. fœderib. tb. 63.* Investigandum penitus, an suffragante status ratione, fortunam principis juvandi augere velint & possint fœderandi, an eò potius benevolentia ducantur, & amicitia vinculo. An formidabiles juvantium copix: an propriis eorum conservari possint expensis, in quo numero, quamdiu: an facilis eorum cum juvandis conjunctio: an non nisi per modum diversionis præstare opem possint. Lebleu *d. l. tb. 71.*

Thef. XI. *Offerens conditionem nubendi personæ conditionem probè perspectam habeat*; cum arduum negotium omninò sit matrimonium contrahere, graveque homini conditionem, à qua humanæ felicitatis non minima pars dependet, offerre. Si tamen bona mente quis alteri obtulerit ejusmodi conditionem, cum ignoret rem aliter se habere, non obligatus, *Lobwort seynd nicht Bindwort.* Quia voluntas offerentis & conditionem suscipientis eò tendit, ut fa-

favori hujus & animi benevolentiae oblati seu commendatus insinuetur, qualis actus ultra agentium intentionem operari non potest *l. 19. ff. de reb. cred.* Si quidem actus omnis a principali agentium intentione aestimatur *l. 4. pr. ff. de reb. cred.* & liberum ipsi fuisset, apud se explorare, an expediret sibi conditio oblata, an favore commendatus dignus esset, nec ne.

Thef. XII. *Offerens dotem sine quantitate, si parens est, obligatur, non autem, si extraneus;* cum pater dotem promittens sine certa quantitate, licet in arbitrium tertii non contulerit, obligetur *l. 69. §. 4. ff. de jur. dot.* quia pater ex officio tenetur dotem pro facultatibus suis & dignitate mariti constitutur *l. 60. ff. d. t.* secus est, si extraneus obtulerit, nulla expressa quantitate, tunc non valet *l. 1. C. d. dot. promission.*

Thef. XIII. *Offerens simulque nominans tutorem obligatur, nisi mater sit.* Nam in effectu pro fidejussore habetur, qui obtulit & nominavit tutorem, vel curatorem, sive per se, sive per alium hoc fecerit *l. 2. ff. de fidejuss. tut. & curat.* Sicut ergo tunc, cum quis aliquem ad alia munera publica nominaverit, & is facultatibus lapsus sit, nominator perinde tenetur, atque si fidejussisset pro eo *l. 2. C. d. pericul. nominat. l. un. C. de potior. ad mun. nomin.* ibique Gothofr. *lib. 10.* ita quoque si ad tutelam nominaverit, nam & tutelam & curam placuit munus publicum esse *pr. Inst. de excus. tut. & curat. Manz. ad tit. ff. de fidejuss. tut. & curat. n. 7.* quod limitatur in matre, *l. 1. & 3. C. si mater indemnitat. promiser.* quia est contra sexus conditionem, ut pro alio tanquam fidejubens obligetur *d. l.*

Thef. XIV. *Offerens se ad negotium gerendum, facit, ut alter durius obligetur.* Quamvis enim nemo factò suo alteri nocere potest, si quis tamen se alienæ rei atque negotio immiscere velit, alius verò quidam ad idem negotium se offerat, operatur hæcce oblatio, ut alter ad exactissimam diligentiam adhibendam obligetur §. 1. *ibi: si alius adfuisset, qui se rei gerendæ obtulisset, & diligentius negotia administraturus fuisset.* *Instit. de oblig. quæ ex quasi contr.*

Thef. XV. *Offerens solutionem verbaliter non liberatur.* Hinc Barthol. ad l. 20. §. 5. d. nov. oper. nunciat. dicit: quod omnes leges, quæ dicunt, quod debitor debeat esse paratus solvere, ita intelligendæ sint, quòd debitor debeat ire cum denariis in manu, aliàs non dicatur obtulisse, etiamsi pecunia in marsupio, nisi extrahatur de marsupio & numeretur. Neque tunc demum liberatur debitor, quando res debita creditori justè oblata & ab ipso injustè recusata, ritè & legitimè eum in finem, ut debitor ab obligatione liberetur, deponitur. D. Lãuterbach. *Dissert. de deposito juris th. 2.*

SECTIO POSTERIOR

DE

ACTIBUS OBLATIVIS, QUI

MALA MENTE FIUNT.

SVMMARIA.

Thef. I. *Mala mente ad lesionem alterius offerens consilium, accipienti ad damnum & interesse obligatur.* II. *Consilium offerens fraudulentum, cum ipse*

ipse accipiens doli sit particeps, non obligatur. III. Consiliarius offerens consilium in detrimentum Domini sui, graviter puniendus. IV. Offerens conditionem pacis & foederum sciens non esse ex utilitate accipientis, sibi quidem consulere videtur, occasionem tamen ad gravius bellum praebet.

Thesis I.

Mala mente ad lesionem alterius offerens consilium accipienti ad damnum & interesse obligatur. Atque hoc ipsa quoque naturalis dicitur ratio, ut ille, qui ex proposito laedit, obligetur arg. §. 3. *Inst. de just. & jur.* & hoc est, quod Ictus in l. 47. d. reg. jur. dicit: *Ceterum si dolus vel caliditas intercessit, & dolo actio competit.* Item Pontifex in c. 62. d. R. 1. in 6. *Nullum ex consilio obligari, dummodo non fraudulentum.* Fraus verò & mala mens non ex eventu duntaxat, sed ex proposito dijudicanda est. Equidem vulgus consilia ex eventu iudicare amat, quod tamen ita ferendum haud est. Bene hanc in rem Plinius *libr. 5. epist. in fin. epist. ult.* dicit: *Omni non iniquum, sed usu receptum, quod honesta consilia & turpia, prout male aut prospere cedunt; ita vel probantur vel reprobantur.* Colligitur autem ista fraudulenta oblatio ex post facto, ex eventu scilicet si damnum inde secutum sit; cum alias difficile sit mentis cogitationes scrutari ac penetrare; quae inde quoque colligitur, si quis multis persuasionibus ad aliquid accipiendum vel contractum cum altero inendum, ac certum quid faciendum, alterum quasi compulerit, & sapius oblationibus suis institerit, tunc eum

eum exinde obligari æquum est. Faciunt huc quæ habet Dn. Franzk. *exerc. ii. qu. 6. n. 13. & seqq.* ubi tradit: Consilii termini exceduntur, si non solum consulam, ut pecuniam potius faneres, quàm in emtionem prædiorum colles, sed reluctantem, multi jugis persuasionibus quasi compellam *arg. l. 13. de minor.* Hoc enim uti consultoris non est, ita vel tertii alicujus, vel propria quoque causâ fieri præsumitur. Quapropter æquum est, cum quasi fidem meam sequi videatur, ne sub observatione ejus decipiaris, seu actionem mandati adversus me consequaris *arg. l. 19. de R. I. Ita l. 6. §. 5. ff. mandat.* temperamentum quoddam continet §. 6. d. *mandat.* Neque interest, quando oblatio dolo malo facta est, alterius, cui facta, decipiendi causâ *l. 7. §. 10. l. 37. ff. de dol. mal. Besold. in delibat. jur. ex lib. 17. ff. n. 5.* Sive jam alterius damnum callidè quærat offerens. Et talem perfidiam conspiciamus quandoque in proxenetis, qui offerre solent atque laudare homines depauperatos, qui tamen egentiam suam coloribus, puta ostentatione & nitidiori victus genere occultare nõrunt, nec satisfacere possunt Creditori, ut hic pecuniæ summam credat, modo pararii isti lucellum exinde & proxeneticum sperent & accipiant. Qui ita offert rogatque, ut quis certum faciat negotium, ille, quisquis sit, etiamsi mercator non sit, mandasse censetur, *d. l. i. §. 2. ff. de mandat.* Vid. Constitutio Elector. Saxon. Noviss. 42. in verbis: Wenn einer vorsehlich und wissentlich eine solche Person / so keine Mittel zu bezahlen / rühmet / und andere Leuthe Ihme / als einem guten Mann zu trauen / und bey dem keine Gefahr sey / durch solch Vorgeben / zu einem Ansehn / oder sonst Credit zugeben / beweget / oder verspricht / Er wol-

wollen verschaffen / daß der Creditor bezahlet werden / oder doch ohne Gefahr seyn sollte : So ordnen und setzen wir / daß eine solche Person umb dieser Reden willen / wofern der Schuldner die Zahlung nicht leisten kan / vor die erborgte Summ oder getraute Wahren haften und gelten solle. vid. Mevius *ad Jus Lubecens. lib. 3. d. mandat. consil. tit. 10.* Aliàs certum est, quod proxenetæ ex officio suo & negotio non teneantur, quia non spontè, sed implorati consensum suum ministeriumque præbent, nomenque contrahendum monstrant, non mandant contrahi *l. 2. ff. de proxenet. D. Præles in comment. ad tit. d. Reg. Jur. ad l. 47.*

Thes. II.

Consilium offerens fraudulentum, quando ipse accipiens doli sit particeps, offerens non obligatur. Cùm nemo videatur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt *l. 6. §. 9. ff. quæ in fraud. credit. uti & aliàs ex mandato rei turpis aut in honestæ nulla oritur obligatio l. 6. §. 3. ff. mandat.* ita nec offerens consilium ad rem malam perpetrandam obligatur acceptanti propter turpitudinem suscepti consilii *l. 12. §. 11. ff. mandat.*

Thes. III.

Consiliarius offerens consilium in detrimentum domini sui, graviter puniendus est. Quippe constat dolos actusque nunquam prosperè suis auctoribus cedere, imò eos in castes, quos aliis tendunt, sapius incidere. Antimachiav. *lib. 3.* unde versus Rahdamanti :

Iusta malis hæc admisso pro crimine pena est :

Si qua fecerunt, eadem patiuntur et ipsi.

Esti consilium Achitophelis callidè excogitatum erat

in perniciem Davidis, tamen divinitus impeditum est, & in caput auctoris redundavit 2. *Sam.* 17.

Thef. IV.

Offerens conditionem pacis & fœderum sciens eam non esse ex utilitate accipientis, sibi quidem consulere videtur, occasionem tamen ad gravius bellum præbet. Quandoque pax offertur metu extorquetur & acceptatur; quæ tamen nunquam fida & diuturna esse potest, cum animi non sint parati ad ineundam pacem & acceptans non tam ductus quam tractus, coactus, quam suavis sit. Expectatur inde occasio rumpendi, qua data deterior conditio evadit & gravius sæpe oritur bellum. Sic Ludovicus XI. à Carolo, in cujus potestate erat, pacisci coactus, liberatus nihil antiquius habuit, quam pacem illam irratam facere *Comin. lib. 3.* Et ideo pacis nonnunquam fit mentio, ut litium semina inter fœderatos serantur, unus adversus alium inflammetur & disjungantur, ortaque ita inter illos discordia suis ipsorum viribus prosterantur. *Brunnem. Dissert. de dolis pacis th. 4.* Eadem ratio est cum fœderibus, quæ itidem ex utilitate offerentis sunt examinanda, acceptata sæpius plus damni afferunt, quam commodi, inde est, quod instabilia sint fœdera & pro commodo reipublicæ mutantur, quo facto animi exacerbantur, bella acerbissima oriuntur Reipublicæ malè consultum esse apparet. Gravior Dominicum Trevisanum in Senatu Veneto perorasse ex P. Paruta *lib. 5. Histor. Venet.* constat. Cogimur, inquit, parere necessitati temporum, & sæpe mutare voluntatem, propositum, amicos & inimicos, suspensam habere omnem externam potentiam, timere mul-

multa, paucis fidere, & perpetua vigilantia aliorum actiones observare, ut ad illas instituamus nostras, habentes in ista inconstantia unum constantissimum & firmissimum propositum, conservationem status nostri & magnitudinem Reipublicæ. Ex suspecta pacis & foederum oblatione hosti sæpè idem, quod aliis minatur, in propriis terris subeundum est periculum. Sic

--- *fors incerta vagatur*
Fertque refertque vices; Et habent mortalia
casum.

ADDIDAMENTA.

I.

Num Reipublicæ conducat pœna exilii, non caret dubio; cum exilium non assequatur pœnarum omnium finem, qui est emendatio facti hominisque delinquentis *l. 1. §. 7. ff. de justit. & jur. Gædd. ad l. 131. n. 23. ff. de V. S.* Nam pulsi ex urbe plerumque deteriores fiunt, ubique terrarum Solis Lunæque ortum sperantes, hostesque evadunt Patriæ, junctique inimicis, damnum, quando se offert occasio, inferunt. Hisce tamen non attentis pœnam exilii inter Christianos tolerari debere sacra affirmant exempla. Sic edicto summi Jehovæ exulare ob primum peccatum justus est Adam *Genes. cap. 3. v. 24.* Rex David Absololum ab aula relegavit in domum suam. Neque hodie pœna ista exilii sublata est.

C 2

II, Impe-

II.

Imperia morbo videntur laborare acuto, ubi nimia ambitio est licentia. Ambitiosi enim aliis cætera dignissimis præferri solent, quod in totius Reipublicæ vergit incommodum. Præfigurantur illi Iudicum *cap. 9.* ubi parabolicè dicitur; quòd cum ficus vitis & oliva nolent acquiescere ut aliis arboribus imperarent, accidit, quòd rhamus extiterit in Regem sublimata, que statim convocatis cedris & aliis arboribus universis præcepit eis, ut sub umbrâ suâ quiescerent & manerent. Cumque vidisset rhamus arbores excelsas sibi subjectas, egressus de ipsâ ignis, qui subjectas arbores & cedros Libani devoravit.

III.

Mos non improbandus in multis imperiis obtinet, ut qui majoris autoritatis vel potentia sunt, matrimonia contrahere absque Regis licentia nequeant. Sic Albanus Dux, nec ob potentiam, nec amicorum turbam, vel insignem prudentiam virtutemque, vel affectatum eminentius imperium, multatus exilio fuit, sed quòd Fridericus filius nobili puellæ è gynæceo Reginae se maritum pollicitus, aliam ex Albani consilio duxisset in uxorem, inde iussu offensus Regis Uzedom se recipere coactus fuit, referente id Fam. Strada *lib. 7. rer. belgicar.*

COROLLARIA.

CLericus ob consilium cædis est puniendus.

Con-

Consultius est in re dubia spiritua-
li adhibere consilium Faculta-
tis Theologicæ.

Clericus ob cædem necessariam
non fit irregularis.

Mandans hominem vulnere &
protestans ne occidat, si man-
datarius occiderit, mandans
non tenetur.

Crimen læsæ Majestatis commit-
titur etiam in Consiliarios
Principis.

Status Imperii non prohibetur in-
dulta moratoria concedere.

Carceratus effracto carcere, vel
aliò quocunque modò fugiens
non habetur pro confesso.

Nota : In Section. priori th. 15. pro *Neque legendum Sed.*

C 3

Doctrina

Doctrina non somno nec otio dulci
Sed aspero labore & impigro
cultu
paratur. Optimum quod exhibes
nobis
Specimen tuos ausus & igneum
mentis
motum docet. Si pergis in tua porro
virtute, præmium tibi ominor cer-
tum!

PRÆSES.

Consilii Sacrum jus dum proponis acutè,
Egregiè studiis consulis inde tuis.

Nobiliss. Dn. Respondenti, Amico & Auditori
suo honoratissimo Imq. f.

Joh. Christoph. Hartung

Phil. & J. U. D.

Ostendis studium, Fene dum docta relinquis.
Sic semper cedant, omnia cæpta tua.

Gratulabundus in Nobilissimi Dn. Respondentis
conterranei ac contubernalis mei charissimi
honorem, disputationi ejus hæc paucula ad-
cere volui debui

Johan Friederich Köppen.
Prospo-

Prospionis ad conterraneum suum politissimum
Dominum Conradum Stern
 publicè disputantem

PHOSPHORE DESIDERATISSIME,
 cujus fulgido hodiè jubare nemo non recreatur,
 Cum **STELLIS** nomen commune habes:
 Hinc cælum hoc Jenense luce tua hodiè adauges;
 Nolite credere Cælum duntaxat Stellis coruscare;
 Terris etiam commodatas fulgida hæc **STELLA** ostendit,
 quæ postquam Patrio ex Horizonte evanuit
 vera Luna Solisque æmula,
 irrequieto cursu Sideris instar,
 claritatis Sux radios undique diffundit.

Faxit DEUS,
 ut in tenebrarum remedium;
 Patrio in cælo, felix propediem exoriaris;
 Et ceu **STELLA** primæ magnitudinis
 præ reliquis emineas,
 Sic orbem Tua adaugebis luce,
ET STELLIANÆ GENTI
 ingens accedet splendor
PHOSPHORE DESIDERATISSIME.

*Hæc paucula boni ominis ergò,
 atq; in honorem Nobilissimi
 Dni, Respondentis
 appos.*

Jacobus Schulz,
 LL, Studiof

Herr

Herr Stern wie schimmert doch sein übergroß-
 ser Fleiß/
 Den ER hat angewandt. Ihm leget heut den
 Preis
 Die Themis selbst bey. Sie rufft Ihm/ Ihrem
 Sohn/
 Heut zu : Fahr nur so fort / die Ehr wird Dir zu
 Lohn!
 Ich wüntsche daß der Spruch der Themis mag be-
 fleb'n/
 So wird man sehn/ **HERR STERN** in hohen Eh-
 schweb'n.

Mit diesen wenigen Zeilen hat dem
 Herrn Respondenten seine Schul-
 digkeit glückwünschend erweisen
 wollen

J. L. Hochhäuser/
 Li. L. Stud.



Jacobus Schulz

1782



Jena, Diss., 1685 H-Z
X 289 6276

K077







C. D.

DE

ACTIBVS
OBLATIVIS,

Von

Vorschlägen.

PRÆSIDE

DN. PETROMÜLLERO, Jcto,

CONSIL. SAX. PANDECTAR. PROFES-
SOR. AC COLLEG. JURIDICI
DECANO

IN AVDITORIO JCTORVM

ad D. Septembr. 1685.

publicè disputabit

CONRAD. Stern/

Stralefundenf. Pomeran.

IENÆ, Typis PAULI EHRICHII. 1711.

14.
~~124~~
~~382~~ 1268
1685 131
23